

214 *Quomodo Christus anima* CAP. 27.  
amoris mūdani tandem detestamini:  
neque enim aliud ille vobis conciliat,  
quam angustias, mœrores, jacturam  
temporis, vaniloquia gravissimè pu-  
nienda, simultates, rixas, odia, bella &  
conscientiæ remorsum. Quem ut pro-  
inde fugere velitis, B. Ioānes vos admo-  
net 1. Ep. c. 2. *Filioli nolite diligere mun-  
dum, neq; ea quæ in mundo sunt. Quoniam  
omne quod est in mūdo concupiscentia car-  
nis est, & cōcupiscentia oculorū, & superbia  
vitæ, quæ nō est ex patre, sed ex mūdo est. Et  
mundus transibit, & cōcupiscentia ejus; qui  
a. facit voluntatē Dei manet in æternum.*

### CAPUT XXVII.

QUOMODO CHRISTUS JESUS  
animæ devotæ se patefaciat, quasi ab-  
solutissimam charitatem & sum-  
mum bonum.

Joan. 14. *Qui diligit me, manifesta-  
bo ei meipsum.*

*Christus  
crucifi-  
xus est  
speculū  
amoris  
sinceris-  
simi.*

**Q**ui Christum crucifixum recte  
contemplari volet, ne ille nihil  
præter sinceram, perfectam, &  
ineffabilem charitatem in ipso depre-  
hendet. Quin Christus ipse cor suum  
illi monstrabit dicens: Ecce tibi cor  
meum, in quo nulla impostura, nulla  
fraus,